

hoc potuisse perpeti, ut in vestra presentia, nam ibi, sicuti comperimus, presens eratis, sancta Romana despiceretur aecclesia. Sed quia hoc vobis displicuisse nunc usque dissimulastis, hortamur vestram excellentiam, ut de cetero non taceatis, quin immo regia potestate decreta apostolicę sedis inconvulsa manere faciatis. Nam, ut nobis relatum est, memorati episcopi privilegia, quae sancti predecessores nostri¹⁾ concesserunt, destruere conantur. Quę res nos graviter contristat, quia, si nos statuta antecessorum nostrorum non servamus, nec nostra servari confidimus. Proinde, per omnipotentem Deum, ex auctoritate quoque beati Petri principis apostolorum et nostra hortamur atque precipimus, ut auctores huius presumptionis in proximo Pascha ad nos venire faciatis.

Sunt autem Letericus²⁾ pseudo-archiepiscopus Senonum, et eius Aurelianus suffraganeus Fulcho, qui in tantam prorupit proterviam, ut Gauzolino, abbati monasterii sancti Benedicti, preciperet privilegia a sede apostolica suo monasterio collata igne cremare. Volumus autem ipsum abbatem pariter advenire, ut apud sanctam, cui Deo concedente³⁾ licet indignum presum, sedem eorum finiatur controversia et contemptor sancti Petri digna plectatur poena. Qui vero tua, amantissime, ammonitione sprete, vel imperio sprete, ad sanctum Petrum et ad nos venire despexerit, nisi corporis infirmitas eum gravaverit, a divinis se alienum mysteriis, ex Dei et nostra sciat existere sententia; cuius egritudinis modum tuę excellentię litterę, regali sigillo signatę, nostrę indicare curabunt sollicitudini. Vestri itaque honoris magnitudo nostra studeat adimplere monita, et eos, qui sedem appellaverunt apostolicam, nulla sinat ab adversariis rerum suarum pati dispendia, ne si, quod absit, aliter quam mandamus actum fuerit, non solum contumacibus, verum omni vestro regno anathematis invehatur censura.

Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat et post longa temporalis regni curricula ad regna perducatur ęterna. Amen.

15. Misit et Leterico alteras hęc habentes verba: Iohannes episcopus⁴⁾, servus servorum Dei, Leterico, Senonum episcopo, salutem. Comperimus in tuo archiepiscopatu magnam presumptionem innatam esse, ita ut exhonorares⁵⁾ sanctam matrem aecclesiam Romanam, dum privilegia sanctorum patrum contempsisti et igne cremare voluisti. Qua de re precipimus ex auctoritate sancti Petri et nostra, ut in presentia nostra adsis in proximo Pascha. Quod si non fueris, scias te excommunicatum. Si vero infirmitas te detinuerit, adsint a parte regis fideles viri, qui causam tuam excusent et egrotare te sacramento adfirment.

16. Rursus alteras Fulconi dirigit textum habentes huiusmodi: Iohannes episcopus, servus servorum Dei, Fulconi episcopo, neque salutem neque benedictionem. Quia Romanam aecclesiam contempsisti, dum monasterio sancti Benedicti olim indulta privilegia ardere et destruere voluisti, precipimus tibi ut in proximo Pascha ante presentiam nostram adsis. Quod si non veneris, ex auctoritate sancti Petri et nostra sis a communione sanctę aecclesię alienus. Si vero infirmitas viam tuam prepedierit, tales viri adsint, qui sacramento te excusent et causam tuam agent.

17. Nihil minus et huic benignissimo patri Gauzolino apices paternę consolationis direxit, his exaratos verbis: Iohannes episcopus, servus servorum Dei, Gauzolino, abbati Floriacensium, apostolicam benedictionem. Quia auctoritatem Romanę aecclesię defendisti, et nostrum honorem quęsisti, fiduciam nostram et benedictionem habeas a sancto Petro et a nobis. Volo autem ut fiducialiter ad nos venias

1) regni hinter nostri ist vom Corrector ausgestrichen. 2) Hs.: Leterius. 3) concedente fehlt in der Hs. 4) episcopus fehlt in der Hs. 5) So verbessert der Corrector: exhonorares.